

ritatem docet: GUNDLINGIANVM autem ideo primum non est, quod idearum cum rebus conuenientia definitionumque ueritas ex ipsis rebus, quarum ideas et definitiones quaerimus, hauriri et examinari debent, quae ipsae res, iudice Viro Eruditissimo Dn. Prof. LEHMANNO, uerum in Philosophia, cognoscendi principium ostendunt. (1)

§. XII.

Qua illarum nexum et inter se relationem.

Diximus antea, per reflexionem nos nexum, qui inter ideas propositione coniunctas et ad se relatas, intercedit, introspicere. Est ille uarius et multiplex, ad tres tamen classes generaliores facile reducendus, ita ut alius sit *existentiae* alius *essentiae*, et alius *accidentium*. Nexus seu relatio illa, qua existentia subiecti innuitur, una est, illa autem deinde, qua praedicatum essentiam docet, est denuo uaria; ita enim idea speciei refertur ad suum genus, partis essentialis ad totum, proprii ad subiectum; denique accidentalis relatio itidem non unius generis est; obtinet illa, quando rei qualitas, quantitas, perfectiones, defectus, circumstantiae, adiuncta et alia, quae huc pertinent, indicantur. Hi relationum fontes ideo ita secernendi et in omni iudicio reflexe intuendi sunt, quoniam usu uenire potest, saepe numero etiam solet, ut propositio aliqua hoc respectu si praedicatum ad subiectum referatur, sit uera, sin alio, sit falsa. Exempla habemus duo illustra in Cartesiani Philosophia; uera est propositio haec: anima est substantia cogitans, si ut proprium quoddam cogitatio de anima enunciari intelligatur, falsa, si essentiam illius et naturam, quod uolunt Cartesiani, designare et constituere statuatur. Eodem modo censeribet

(1) *uid. eius Vernunft-Lehre P. I. C. IV. Sect. 2. p. 258, 260.*